Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis diſputationibus, manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Martis decimâ-quartâ Februarii.

M. ANTONIO DE SAINCT-YON, Doctore, Medico Regis ordinario, Præſide.

An in Δυσουρίᾳ diureticis prævalet purgatio?

QUÆ permiſcuerat olìm & confuderat obſcura antiquitas δυσουρικὰ πάθη: hæc eadem in tria genera poſterior ætas clariùs diſtinxit: His omnibus ſubeſt urinæ difficultas; Illa in ἰσχουρίᾳ non redditur, in ſtranguriâ ſtillatim guttatìmque emittitur; in δυσουρίᾳ modò guttatìm modò affatim cum dolore & cruciatu profluit. Hæc diſpar vitiorum ratio ſimiles diſſimileſve cauſas nacta invicem fermè convertitur, uniquè ut plurimùm inſedit veſicæ quæ eſt urinæ receptaculum. Quiſquis Medicinam his malis facere crebrâ alvi ductione tentaverit, eum, ſi artifex eſt, ſpes rariùs fruſtrabitur: Illa ſiquidem utcunquè levabuntur; hoc hercules, δυσουρία videlicet, tutiùs & celeriùs ad ſanitatem perveniet: at varium adeò & mutabile res Medica, ut hìc proprias perpetuaſque medendi leges figere non ipſi Hippocrati Dii conceſſerint; res enim, ætas, tempus, locus, habitus, uſus ſemper aliquid apportat novi, aliquid monet; ità ut illa quæ te ſcire credas, neſcias, & quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies: Quin incertam hanc conjecturalemquè artem, ſi poſtulas ratione certam facere; nihilo plus agas quàm ſi des operam ut cum ratione inſanias. Jam morbus curationeſque in notitiam faciliùs venient ſi veſica mali ſedes (quatenùs ſcire curanti neceſſarium eſt) priùs in conſpectum quendam adducatur.

VESICA uno quaſi muſculo circumvoluta duabus conſtat membranis; harum quæ extima valida eſt & denſa; quæ intima utpote tenuis ac pluribus fibris per eam diſcurrentibus intertexta ſenſu pollet exquiſitiſſimo. Veſicam innumera penetrant foramina inviſibilia, extrinſecùs lymphæ pervia; in his etiàm tria duntataxat majora conſpiciuntur; quorum duo ad ejus cervicem poſita urinam accipiunt deſcendentem à renibus per ſingulas venas colore albas οὐρηθῆρας Græci vocant; tertium, quà patet urinæ exitus, à ſummâ cervice ad colem deſcendit. Cervicem carnoſam magìs & compreſſam contexunt fibræ tranſverſæ & ſemiobliquæ; hanc alluunt & nutriunt arteriæ ab hypogaſtricâ, & venæ hypogaſtricæ ſibi mutuò & arteriis conjunctæ; in hanc incurrunt ſpiritus per nervorum propagines à medullâ oſſis ſacri & ab octavo pari deductas; huic utrinque molliter incumbunt duæ glandulæ ſuprà ſphincterem poſitæ & arteriis, venis, nervis, canalibus aquoſis ſeu lymphæ ductibus inſtructæ.

IN loco tam arctis obnoxio itineribus hùcque & illùc flexis, tot inter veſicæ cervicis vaſa, venas & arterias, fibras & nervos, carnes & glandulas, accenſa vel mediocris inflammatio ſæpè urinam reddi naturaliter prohibet. Illam quoquè οὔρησιν δυσκολαίνουσαν faciunt & alunt tùm ὀργῶντες varii ſucci & acriores per vaſa illic circunjecta undique delati; tùm latex ſeroſus *ſalinis* & ſulphureis permixtus particulis, & per tenuiſſimos renum tubulos percolatus. Quin etiam hoc vitium exaſperatura videntur quæcunque nativas cruoris coagulationes diſſolvendo, aut ſtrictiùs compingendo, copioſius ſerum in partes morbo infeſtatas protrudent; Quæque alienas ſordes, aliiſquè deſtinatas Διαχώρησαις illùc unà cum ſero convehere apta ſunt; Verùm ut nihil eſt tàm capax fortuitorum quàm Medicina, quidni interdùm contrà vertat, ut illa etiam, temeritati licèt & inſcitiæ propiora, nonnunquàm tamen reſpondeant; cùm & utiquè qui ſecundis aliquandò fruſtrà curatus eſt, contrariis ſæpè reſtituatur: adeò ne patet breve confinium artis, & falſi!

HONESTUM purgationis nomen Medicina verbis magnifica impoſuit fœdo cuidam ſtomachi ac inteſtinorum motui, quo fæces humorumque recrementa & corruptelæ foras ἄνω καὶ κάτω rejiciuntur. Ille excitatur vulgò medicamenti poteſtate, quâ laxatis aut vellicatis ventriculi inteſtinorumque fibris, modò vomitus, modò dejectiones frequentiores plenioreſquè ſequuntur; hæc verò an ſolis mixti ſalibus, an intimæ partium texturæ, an toti demùm ſubſtantiæ ſit referenda; certent otioſi λόγων μεριμνηταί; horum omnium rationes non equidem cogunt, fortè nec perſuadent, ſed inopiâ veri, & errantium credentiumque conſenſu poſſunt more ſceptico videri non improbabiles. Cum hactenùs multa veterum medendi duritiæ meliùs & lætiùs mutata ſint, & cùm plura conſilio quam vi perficiantur in regendis corporum valetudinibus; timidus procellæ, illud ama medicamentum quod ventrem molliat & blandiùs ducat; ità tutus eris extrà metum & periculum ſanitatem moliendo; nec non ſecuriùs peraget lenis & tranquilla Medicinæ poteſtas, quod acrior & valentior ferè in pejus concitaret & converteret. Sed ſcire licet catharſim quamcumque non mereri præmium inculpatæ tutelæ; ejus enim levem culpam (propè dixerim latam & dolum malum) arguunt arcanus ſtomachi horror nauſeaquè inſuperabilis, ſtercoris & excretorum fœtor horridus, corporis languor & dolor, ſitiſquè ſuperveniens, &c.

IN hâc ipsâ re igitur, ut in cæteris, nihil eſt ex omni parte beatum; medio de fonte ſalutiferæ artis ſurgit amari aliquid quod cauſariis ac fluidis hominum corpuſculis inſolens in novum ducit vitium; hoc tamen utpotè levius, tolerabile eſt, nec adeò pertimeſcendum; huic, Natura ſuo juri relicta protinùs medicabitur: lædat ergò ſtomachum purgatio, torqueat inteſtina, ſolvat viſcera, partium fermenta vitiet, humores corrumpat, totum denique corpus affligat; ſunt huic nihilominùs ſuæ dotes & præmia; hæc, prius τοῦ σώματος ἀνωργισμένου, ad inteſtina transferet ſuccos qui veſicæ partes contactu & valetudine moleſtiùs inficiebant. Tinctura nimirùm cathartica in ventriculo ac inteſtinis pauliſper commorata, & ἐνεργικῶς quoquo versùm diffuſa venis, impuritates ab alimentis & degenere chylo ortas, promiſcuè & ſinè delectu ex totis corporibus viſceribuſquè ſecretas & eductas per alvum feliciter excernet; eo ferè modo demptâ atroci morbo materiâ, levatiſque eo velutì onere veſicæ partibus, & morbus in ſuo impetu mollietur, & qui modò in malis erat æger, mòx fiet οὐρητικώτατος.

Ergo in Δυσουρίᾳ diureticis prævalet purgatio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus Labbé, Academiæ Cenſor.
M. Andreas Enguehard, Profeſſor Regius.
M. Joſephus Thomaſſeau.

M. Ludovicus Poirier.
M. Petrus Bourdelot, Medicus Regis perpetuò ordinarius.
M. Joannes-Baptiſta-Renatus Moreau, Profeſſor Regius.



M. Matthæus Thuillier.
M. Carolus Marteau.
M. Antonius le Moine

Proponebat Pariſiis CAROLUS THUILLIER, Aurelius, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1696.